

PHARAMVNDVS PRIMVS FRANCORVM ORIEN-
talium & Occidentalium rex.



Pharamundus Francorum Orientalium qui & Sicambri dicebantur, dux extitit, qui etiam ad Rhenum in Belgis longe lateque dominabatur. Hic insigni corporis fortitudine, atque omnis generis uirtutibus fuit praeditus. Itaque cum Galliae fertilitatem & amoenitatem considerasset, eandem inuadere atque partem eius suae ditioni adjicere placuit. Eo enim tempore Honorius & Theodosius Romani Imperatores, multorum populorum irruptione occupatissimi erant, ita ut Galliae prouinciam (quam iam inde à Iulij Cæsar's tempore possederant) uix tueri posse arbitraretur. Copijs ergo ex suis Germanis collectis, anno circiter quadringentimo decimo septimo Rhenum transgressus, omnia longe lateque in Gallia populatus est. Cum autem nemo esset qui ei resistere posset, magnam partem Galliae sibi subiecit, atque à sua gente Franciam appellauit. Ipse etiam primus rex Francorum ab eis constitutus est, atque regiam sedem in Franciam transfluit.